

1. Benner s. Joh. Henr. / Diss. de gemitu Ecclesie  
 suspirantis libertatem, Gissa 1737.
2. Berend s. Joh. Franc. / Diss. de primarij quibus  
 dam versibus Syriace virtutibus in  
 quorundam N. T. locorum conspicuis, Halle
3. Bernholdi s. Joh. Paeths <sup>1732</sup> / Diss. de causis cur  
 homo Christianus in hac vita ad perfectam  
 sanctitatem pervenire non possit. Altorfi  
 1738.
4. ——— / Diss. de simplici typo Christi, Altorfi  
 1740.
5. ——— / Diss. de fidei formularum justitia,  
 Altorfi 1737.
6. ——— / Diss. de Christiana Ecclesia nomine.  
 Altorfi 1731.
7. ——— / Diss. de jejunio spirituali,  
 Altorfi 1730.
8. ——— / Diss. de salvanda per filiorum  
 generationem muliere. Altorfi
9. ——— / Diss. de prudentia <sup>1735</sup> pastorali, Altorfi  
 1737.



b. 7

ANACRISIS EXEGETICA 4  
DE  
SIMSONE NAZIRAEO  
TYPO CHRISTI

AD ILLUSTRANDVM  
LOCVM MATTH. II. 23. EX IVD. XIII. 5. 7.

---

QVAM  
DEO CLEMENTER ADSPIRANTE  
SVB PRAESIDIO  
D. IOH. BALTASARIS BERNHOLDI  
SS. THEOL. ET GRAECAE LINGVAE P. P.  
ET ECCLESIAE ALTORFINAE ANTISTITIS  
H. T. SEXTVM DECANI  
PATRONI PRAECEPTORIS ET HOSPITIS  
OMNI PIETATIS CVLTV AETERNVM  
PROSEQVENDI

D. XIII. SEPTEMBR. A. O. R. MDCCCXXX  
PVBLICAE ET AMICAE DISQVISIONI  
SVBIICIET

AVCTOR  
IVSTVS IACOBVS HAVKIVS  
EX ONOLDINIS

---

ALTORFII  
TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGRAPHI.



7

ANNO CHRISTI MDCCLXXII

SIMONE NAZARAE  
IN NO CHRISTI

IN GEMINIS ALIANTIS

D. ION. BAL. S. M. L. FER. N. H. O. L. D. I.

38. THEIL DER ALTE TESTAMENT

IN FOLIO ALPHABETICO

IN TROTI TA RECESSIONE ET HOMINIS  
OMNI MENTIS CUM

PROSEPTIMA

IN TROTI TA RECESSIONE ET HOMINIS

IN TROTI TA RECESSIONE ET HOMINIS

IN TROTI TA RECESSIONE ET HOMINIS

IN TROTI TA RECESSIONE ET HOMINIS

IN TROTI TA RECESSIONE ET HOMINIS

IN TROTI TA RECESSIONE ET HOMINIS





ANACRISIS EXEGETICA  
DE  
SIMSONE NAZIR AEO  
TYPO CHRISTI

ad illustr. loci

*Matth. II. u. 23. ex Iud. XIII. u. 5. 7.*



**Q**ui calamum ad exarandum aliquod Specimen *Prooemium.*  
academicum arripio, diu multumque, de qua-  
nam sim disputaturus materia, meditatus, Au-  
ctore VIRO SUMME REVERENDO D. BERN-  
HOLDO, locum Matth. II. commate 23. ex  
Iud. XIII. u. 5. 7. illustrare constitui; EIVS  
consilio eo magis promptiusque obsequutus, quo maior  
Simsonis sub V. Oeconomia, et CHRISTI Domini conue-  
nientia hic laterè mihi uidebatur, quam multi tamen, adeoque  
uiri docti, peruidere nolunt. Omnes autem in eo facile me-  
cum consenserint, Simsonem typum gessisse futuri Messiae,  
utrum autem uerba haec, quae nobis illustranda proposui-  
mus, ad Christum pertineant, nec ne, multi sunt, qui dubi-  
tent, certè clara uoce dicere non audent. Considerauerint  
uero, quicquid ad studium hermeneuticum S. est necessari-  
um, et melius forsitan propitiusque cogitarint. Admodum  
enim scitu est necessarium, DEVM ad populum suum Israeli-  
ticum de CHRISTO, et Oeconomia N. T. etiam per typos  
fuisse loquutum, per figuras puta et imagines, quæ ex men-  
te DEI, sub personis ac rebus V. T. personæ ac res N. T.  
A 2 præ-



praefigurabantur, atque adumbrabantur. Itaque typi cum antitypo recte ut comparentur, omnino cultorum est studii hermeneutici. Quibus de causis vires meas, roborque periclitaturus, sententiam, quam hic foueo, paucis proponam, ac non typum solum cum antitypo, monente Cl. RAMBACH. in Infit. herm. S. satis comparandum, eumque secundum sensum literalem proponendum, sed analogiam etiam inter rem, ut edicunt, *significantem*, et *rem significatam* sobrie tradendam curauero. Faxit itaque DEVS T. O. M. ut specimen hocce academicum ad gloriam suam promouendam sufficiat!

Textus.

§ II.

Quod itaque felix, quod faustum esse DEVS iubeat! rem ut rite aggrediar, V. T. inprimis textum apposuisse iu- uabit; est autem in FONTIBVS:

כִּי נֹזֵר אֱלֹהִים יִהְיֶה הַנֶּעַר מִן הַבְּטָן

Ex interpretatione IONATHAN. b. VSIEL:

אַרְי נְזִירָא דִּי יְהִי רַבֵּינָא מִן בְּטָנָא

SYRVS INTERPRES Matth. uerba reddidit, Matth. II. 23.

דֵּנֹזְרֹיֹו נֶתְחֵרֶה

DENOTZROIO NETHKERE.

Ex uersione τῶν ὀ GRAECA:

"Ὁτι Ναζῖρὸς θεὸς ἔσται τὸ παιδάριον ἀπὸ τῆς κοιλίας.

Ex Latina VVLGATA, cum OSIANDRI paraphrasi:  
*Erit enim Naziraeus (ab infantia sua, et) ex matris utero, i. per omnem uitam suam subiectus erit legi, et caerimoniis, quas Naziraei debent obseruare. (Nazi- ra eorum*



raeorum autem ritus adumbrabant christianos, qui Naziraei esse debent, h. e. sobriam uitam perpetuo ducere, et ab omni immunditie abstinere. *Christus* autem Naziraeus fuit, non, quod iuxta ritus Naziraeorum uixerit, sed quod in Nazareth ciuitate Galilaeae esset educatus, quodque ab omni inquinamento sit alienissimus.

LUTHERVS in uersione VERNACVLA:

**Denn der Knabe wird ein Verlobter Gottes seyn / von Mutter-Leibe an.**

§ III.

Sanioris igitur Hermeneuticae S. regulis in consilium rite uocatis, sensus est literalis, quod Angelus Dei increatus matri hucdum sterili, atque Manoe filium, Israelitas a tyrannide Palaestinarum fortiter liberaturum, DEOque ex lege Naziraeatus perpetuo deuouendum, pollicitus fuerit, *Sens. literal.*

§ IV.

Id quod, ut eo firmiter certiusque elucescat, ex iis, quae antecedunt, et sequuntur, probare nititur. Capitis enim huius XIII. incipientis commatum summa est, de Simfonis natiuitate et educatione, reliquorum autem, de egregiis ipsius facinoribus. Primo autem uersu relatum legimus, DEVM admodum offensum Israelitas in Philistaeorum tradidisse potestatem; quod nempe iisdem, quorum iam dudum rei, et ob quae iam aliquoties puniti erant, peccatis, erga DEVM grauiter peccassent. Non enim cognouerant DEVM, atque Ipsius opera socordia quadam turpiore obliti erant, praedictis iudicibus mortuis in idololatriam relapsi. Factum est itaque, ut xxx annos in Palaestinarum traditi manus grauem darent poenam; precibus autem ipsorum DEVS rursus motus seruato-



rem quendam, qui eos, sine ullius auxilio, a tyrannide liberaret, mittere promisit. Cuius natiuitatem, quia, dicente OSIANDRO in Paraphr. ad h. l. praeclarus heros, et in quibusdam typus CHRISTI, futurus erat, DEVS, ut eo facilius crederent, quod longo iam tempore sterilitatis uitio laborasset uxor, ac ne impossibile uideretur, per Filium suum unigenitum, CHRISTVM, ut omnes haud immerito Theologi contendunt, parentibus apparentem pollicitus fuit, simulque uxorem adhortatus, ne uinum aut potum biberet inebriantem, neque immundi quiequam comederet, ut puer hic inde ab utero matris esset purus. Erat enim in matris utero DEO deuouendus, qui Israelitas rursus liberaret. Id quod semel iterumque angelum fecisse increatum legimus, ut et Manoah, maritus, sentiret, supernaturale hoc esse opificium DEI. Parui autem, et nullius sane sunt momenti, quae Iudaei somniant, qui ideo factum existimant, ut Manoah aemulatio illa furiosa, cui admodum addictus fuerit, eximeretur, ac si uxor ab alio quodam grauida fuisset facta.

## § V.

*Scopus.*

Procul autem dubio SPIRITVS S. hic submonere uoluit, ut non solum ad Simfonis Naziraei educationem, ipsiusque Naziraeatum diligentius attendamus, sed et, ut omnes sciant, eum typum fore futuri MESSIAE.

## § VI.

*Analysis Logica.*

Hiscæ igitur praemissis, facili opera analysis textus nostri logica formari potest. Sistit enim nobis

*Typum MESSIAE, filium Manoah, ab ineunte aetate Naziraeum, ubi simul consideranda ueniunt,*

I.) *Subiectum:* הנער II.) *Adiunctum:* נזיר, seu Naziraeatus pueri nascendi perpetuus et notabilis.

§ VII. Dum



§ VII.

Dum igitur, ut secundum omnes sanctioris rite applicatas regulas Hermeneuticæ, ordine progrediar, singula excutere nitor uerba, ante omnia ad uocem הַנֶּעֶר est respiciendum. Nihil autem hic inuenio difficultatis. Notatu tamen dignum esse credo, quod radix ipsius sit נֶעַר, unde substantiuum נֶעַר puer, dictus quasi, monente IO. BVXTORFIO in Lexic. hebr. Chald. נִבְעַר, *excussus ex utero matris*, descen-

*Excutienda  
uerba*

1) הַנֶּעֶר

dit, ac modo adolescentem Gen. XXXIV, 19. modo puerum ministrantem, Gen. XXXVII, 2. modo puerum ratione iudicii, Ierem. I, 6. quinimo Principes, Ies. III, 4. modo etiam infantem recens natum, uel nascendum Iud. XIII, 7. uti postremum in Simfone locum habet, denotat. Scilicet נֶעַר

est idem quod excussit, agitando, deturbando, in pedes se coniiciendo, clamando; hinc נֶעַר, puer, usque ad aetatem uirilem, qs. d. ex utero excussus, in proceritatem se excutiens, ad aliquid muneris et ministerii obeundum excutiendus, et omne itugum superiorum excutere laborans; exponente SAMVEL. SCHEVRERO in *μολογ.* p. 79.

§. VIII.

Ad alterum itaque progrediar, ad *adiunctum* nempe

נֹזֵר, de quo textus noster: כִּי נֹזֵר אֱלֹהִים יִהְיֶה 2) נֹזֵר

Inprimis autem hic Naziræatum obseruatq̄ dignum esse iudico, cuius originem ne in uoce נֶזַר quaeras caue; sed ob identitatem potius literarum ipsius radicem habemus נֹזֵר, *abstīnuit ab aliqua re*. Est autem Naziræatus cultus ille, quo uel sponte sua, uel iubentibus parentibus, uel etiam DEO uolente, uotis se DEO obstrinxerant, praecepta diuina diligentissime obseruarant, et sobrie, et in diuinis contemplandis bene-



Naziraei temporar. siue dierum.

Leges Nazir. tempor. Cum his conueniunt Nazir. determ. temp.

beneficiis ii degerant. Diuersa uero ipsius fuerant genera, ac nullum licet inter mares, ac feminas, neque tempus, quo uotum durabat, discrimen intercedat; in tres tamen plerumque distinguunt classes. Primo enim sunt illi, qui נזירי ימים, *Naziraei dierum*, appellati, atque ad certum tantum temporis spatium legi huic obstricti fuerant; Tempus autem illud in lege etfi expressum haud legamus; Iudaei tamen MASS. NAZIR. c. I. f. 3. ad minimum XXX faciunt dierum, quod in uoce יהיה Num. VI, 5. inuenisse semet credunt. Interea minorem non potuerunt quam XXX dierum, terminum determinare; maiorem uero, si forsan uouissent, perfecte tenere, eumque adimplere ipsis incumbabat. Leges ipsius fuerant, ut I) *ab omni quod a uite proficiscitur*, II) *a tonsura*, et denique III) *ab immunditie* sibi cauerent. uid. NAZIR c. VI. f. I. 5. Quibus etiam merito נזירי זמן קעוב *Naziraeos determinati temporis*, addimus, qui easdem cum prioribus habuere leges, easdemque caerimonias; nisi, quod longius hi uoto se obstringere debebant, quam dierum Naziraei. Ex hisce autem puerum ante annum XIII. DEO se uoto obstringere non potuisse, DRVSIVS ex Pesseta ad loc. diff. Num. VI. refert; e contrario puellam, primis X annis, et die uno exactis, potuisse, et in aetate iam confirmatos cui libet parenti tale quid statuere licuisse, addita hac formula: *Filius hic meus sit Naziraeus*; uel ad filium se uertendo: *Fili mi, Naziraeus sis*. Quemadmodum autem nemo ante uotum conceptum obligatus; sic post illud nuncupatum rite atque sancte fuerat obseruandum. Non enim eis licuerat, ante finitum tempus, leges illis latas negligere; sed sancte, tempore adhuc durante, eas coluerunt; eo autem exacto, templum fuerat subeundum, ac, sacrificiis DEO immortalis oblati, ritu eorum secundum praecceptum diuinum Num. XXI. obseruato, in pristinum rursus redditi sunt statum; et a uoto liberati, uid. NAZIR. c. VI. f. 7. 8. *Perpetui autem Naziraei*, hebr.



hebr. נזירי עולם, uocabantur, qui Naziraeatu per  
 omne uitae spatium fuerant obstricti. Rursus hic discri-  
 men ineunt, inter *Naziraeos perpetuos, quae tales, et Simsonaeos,*  
 quod in eo praecipue consistebat, quod *perpetui* tribus legum  
 capitibus; *Simsonaei* autem duobus tantum paruerint. Hi  
 enim potissimum I) a *uino*, II) a *nouacula*, (quod tamen non  
 semper obseruasse, sed elapsis XII. mensibus eas nouacula le-  
 uasse, ex Samuel. XIII. 26. Iudaei colligere uolunt, uid. NA-  
 ZIR. c. I. s. 2.) et denique III) a *pollutione* se auerrebant. Li-  
 cet hisce נזירות ab init. plures hisce obser-  
 uandas fuisse leges, contendat, easque potissimum decem  
 annumeret; eas tamen, si uel ultimam, quae de oblationibus,  
 temporibus Naziraeatus finitis, uel pollutione, agit, excepe-  
 ris, cum nostris plane conuenire uidebis. Si enim dicunt,  
 Naziraeorum primam fuisse legem, ut a *uino* se auerterent;  
 MAIMONIDES hanc pluribus, quae tamen prorsus cum nostra  
 conueniunt, ampliat, e. gr. ut I) abstineant *uino*, aut *potu*  
*uino mixto*, uel etiam *aceto*; II) neque comedant *uuas recen-*  
*tes*; III) neque *passas*; neque IIII) *acinorum nucleos*; aut V)  
*corticem*. Qua in re multi consentiunt Iudaei, quos singulos  
 referre neque chartae spatium, neque angustia temporis ad-  
 mittit. Vnus sit nobis omnium instar, auctor nempe Tr.  
 Mischn. נזיר, qui C. VI. 1. dicit: שלשה מינין

*Naziraei per-  
 petui.  
 Diuiduntur in  
 perpetuos et  
 Simsonaeos.*

MAIMON.  
*ampliat leges.*

אסורין בנוזיר הטומאה והתגלחת והווצא מן  
 הגפן i. e. *Tres species Naziraeis prohibitaes sunt; Immu-*

*Simsonaei.*

*ditates, Tonsura, et quod uite egreditur.* Sed ad Simsonaeos  
 reuertar, qui multum a perpetuis differunt. Leges eis duae  
 tantum praescriptae fuerant, quas sancte seruare debue-  
 runt, ut I) ipsis *uinum*, et omne quod ex uitis, et uini  
 γενήματα ortum habet, et II) *tonsura capilli* prohibita fue-  
 rit, neque cuidam illorum, qui huic obstricti fuerant Nazi-  
 racatu

*Leges!*

B

racatu



raeatui, capillos tondere fas erat, neque polluti sacrificium offerre, ut ex Iud. XIII. 5. XVI. 17. satis clare euinci potest, quod etiam Tr. נזיר fustus ostendit. Dicitur enim in eo,

הריני כשמשון כבן מנוח כבעל דלילה  
כמי שעקר דלתורת עורה כמי שנקרז  
פלשתים את עיני הרי זה נזיר שמשון מה בין  
נזיר עולם לנזיר שמשון נזיר עולם הכבד  
שערו מיקל בתער ומביא שלש בהמורה  
ואם נטמא מביא קרבן טומאה נזיר  
שמשון הכבד שערו אינו מיקל ואם  
נטמא אינו מביא קרבן טומאה

i. e. *Si quis dixerit: Ecce ego ut Simson, ut filius Manoae; ut maritus Delilae; ut, qui euulsit ianuas Gazae; ut cuius oculos effoderunt Philistaei, ecce talis est Naziraeus Simson! Quenam est differentia inter Naziracum perpetuum et Simsonaeum? Haec: Naziraeus perpetuus comam capitis aggrauatam nouacula alleuat, neque tum tres bestias offert. Si pollutus fuerit, offert sacrificium pro immunditie. At Simsonaeus capillos capitis aggrauatos nouacula non alleuat: Si pollutus fuerit, nullum pro immunditie offert sacrificium. Haecenus Tr. נזיר c. I. f. 2. Huic etiam Naziraeatui Simsoniaco uel homines iam adulti se deuouere potuerunt, uel ab alio, qui in eos ius habebat, fieri hoc potuit; idque aliquando ante natiuitatem, aliquando autem speciali DEI praecepto, ut in Simfone nostro clare patet. Sed qui plura hac de re legere cupit, adeat GOODVIN. Mos. et Aaron. IKENII Antiqq. hebr. P. I. c. XVI. RELAND. Antiqq. Iud. LVNDII iüdische Heilige*



Heiligthümer; quibus haud immerito adiungo VVASEVVIZII  
Turt. Iohann. p. 235. reliquos.

§ IX.

Nunc etiam, etsi post alios superfedere possem opera Naziraeos ty-  
hac, non Simsonem solum, sed omnes etiam Naziraeos ty-  
pum gessisse futuri MESSIAE, paucis probare incumbit. Res <sup>pum gessisse</sup> Messiae <sup>pro-</sup> <sup>bat.</sup>  
itaque omnis in duas commode diuidi potest partes, si primo  
de Naziracis *in genere*, deinde de Simsone *in specie*, sermo  
erit. De illis autem Cl. VITRINGA in Obseru. SS. P. II.  
p. 506. dicit, DEVM per eos perfectam sanctitatem, quae  
summam ελευθεριαν, ab omni concupiscentia et seruitute uitii  
aut peccati, atque animum in omni habitu actu et statu  
DEO deuotum et consecratum infert, adumbrasse. Et sane  
maxuma hoc cum ratione contendit VITRINGA, scimus enim,  
quod eis ab omni, quod mundum sapit, fuerit abstinentum,  
pro obseruanda DEI lege, in praeclaris facinoribus auxilio  
SPIRITVS S. praestandis, quae homo per se, et sine NVMINIS  
auxilio perpetrare non potest. Quid? quod typus Liberato-  
ris nostri omnes fuerunt iudices, quod Israelitas ab inimicis  
suis seruarint. Deinde, quilibet, qui Naziraeatus sese addi-  
cere uoluerunt legibus, uoluntario hoc uoto et sponte sua  
fecerunt; equis autem illud de CHRISTO negare auderet?  
Scimus enim, et quidem citra formidinem oppositi, ipsum  
pari modo DEO se consecrasse, eamque ob causam ab Hie-  
ropalte כֹּהֵן Psalm. III. 4. XVI. 10. seruum DEI Ies.  
XXXXVIII. 42. appellari. Sed et reuera Eum fuisse Naziraeum,  
a DEO consecratum, et ad suum seruitium separatum, ex Ies.  
XXXXVIII. 1. satis dilucide sciri potest. Nec hic etiam desunt  
in contrariam partem rationes, quibus de hisce assertis dubita-  
tur, quod nempe Naziraei comam alere, a pollutione, reli-  
quis, sibi cauere debuissent, quod ipsum de CHRISTO in Scri-



ptura S. minime legimus. Hisce etiam motus SPANHEM. in dub. Euang. CHRISTVM non fuisse uerum Naziraeum affirmat. Sed dubia haec nullius sicuti sunt momenti: ita carent approbatione. Probabili enim probari posset argumento, legibus Naziraeorum se deuouisse, si NICEPHORO credendum, qui, formam CHRISTI descripturus, cum prolixis eum exhibet capillis. De potu autem uini non est, quod dicam, cum pondum satis constet, utrum Naziraei semper ab hoc abstinuerint, an uero ad tempus eis aliquod fuerit permissum, iis praecipue temporibus, quibus potus hic, e. gr. Deut. XVI. singulis fuerat praeceptus. Hinc etiam Iudaei quidam hoc neque negare, neque affirmare audent; sed quaestionem hanc, sine ulla annexa probatione, mouent: *Si Naziraei uinum iuxta praeceptum diuinum, quod ad omnes pertineuerat, bibissent, peccassent contra leges Naziraeatus; sin eo autem minus usi fuissent, contra praeceptum diuinum grauem commississent errorem.* Quod autem CHRISTO Pharisei obiecerant immunditiam, ex consuetudine publicanorum ortam, huc minime referri licet, cum et ipsi Simsonaei, iuxta ea, quae dixi, prorsus quod ad hoc excepti eximiuue fuerint. Sed coniectura haec uideri potest, cuius ueritatem indubitatis affirmare non possumus probationibus; ea itaque omissa, certum tamen est, CHRISTVM, dicente OSIANDRO, Naziraeum fuisse, quod in Nazareth, ciuitate Galilaeae, educatus ab omni inquinamento fuerat alienissimus, quem Dan. c. IX. 24. *Omnium sanctissimum, et Apostolus Hebr. VI, 26. sanctum, innocentem, ab omni uitio immaculatum, et a peccatoribus segregatum* appellauit. Satis autem de Naziraeis in genere; speciatim ad Simsonem ipsum reuertar, ubi merito cum supra iam laudato VITRINGA l. c. consentio, qui, erat ipse, inquit, *ui promissi diuini, ab angelo IEHOVAH parentibus Simsonis facti, ex uxore sterili per potentiam DEL suscitatus;*



ut alii sub Oeconomia *V.* plures, per quas *DEVS* praefigurare uoluit filium suum κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν Ἰησους Χριστος, ex muliere per suam potentiam, absque ope uiri secundum naturae leges producendum. Fuit  $\text{III}$  ab utero matris usque ad mortem, quod inter tot alios illustres Oeconomiae antiquae homines ipsi priuum fuit, atque adeo animaduersione dignissimum. Considerauerimus autem maxumam Simsonis, de quo iam in Prooemio dictum, cum *CHRISTO* conuenientiam, maiorem habebimus lucem; et semper maioris esse momenti, ac plerumque mysterium de *CHRISTO* in *V. T.* inuoluisse credo, quando *SPIRITVS S.* de personis *V. T.* exactius atque diligentius, cum omnibus requisitis circumstantiis, refert, et subinde *DEVM* circa huiusmodi personam extra ordinem uersatum esse credo. Hinc etiam *VAL. HERBERGER.* hoc de loco praeclare dicit: Gott hat es sonderlich geschickt, daß unser Herr Jesus zu Nazareth hat müssen erzogen werden, damit, wenn Christus ein Naziräer genennet würde, das andächtige Herz bald dabey merken könnte, daß der Naziräer-Orden vor Zeiten auf Christum, den rechten Naziräer, unter seinen Brüdern gewiesen. Drum schickte es sich wunderbarlich, daß Er hernach nicht nur Iesus Naziräus Luc. XVIII, 37. sondern auch von Pilato in Griechischer Sprache, ober seinem Creuze also genennet wurde &c. &c. Quinimo, quis piorum illud *OSIANDRI* effatum reliquit, qui in Paraphr. sua dicit: Fuit autem Simson typus *CHRISTI* in multis rebus, ut est uidere in tota ipsius historia. Nam et Israelitas a Philistinis hostibus solus (a nullo homine adiutus) liberauit, et res mirandas et stupendas gessit: quin etiam moriendo hostes suos perdidit. Caeterum magni etiam ponderis est arctissima praeconii huius angeli ad uxorem Manoae, facti, cum illo Mariae, Matri Seruatoris nostri *IESV CHRISTI*, conuenientia: Ecce tu concipies, et breui paritura es filium!



*Locus paral-  
lelus Matth.  
II. u. 23.*

*διὰ τῶν προ-  
φητῶν.*

Ad ipsum nunc progredi parallelismum necesse duco, ut ea, quae dixi, eo magis stabiliantur. Habemus autem locum ualde uexatum Matth. II, 23. de quo eruditi magnam iam inter se inierunt certamina. Demonstrat autem locus hic implementum textus nostri prophetici, sensu mystico, sequentibus describi uerbis: ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται. Verba autem διὰ τῶν προφητῶν, non nisi per enallagen numeri, qua mutatio locum habet pluraliui loco singularis Numeri, sunt intelligenda, qualem saepius in S. literis, praecipue autem Matth. XXVII. 44. coll. Luc. XXIII. 39. inuenimus. Digni ergo sunt, ut reiciantur, qui de uerbis hisce aliter sentiunt, quorum princeps haberi potest ANDR. OSIANDER, qui propriam uocis significationem deserens, eos fuisse prophetas dicit, qui nulla licet diuina oracula, uisionesque habuissent; interna tamen SPIRITVS S. unctione edocti Scripturam S. penitus intellexerint, et consilium petentibus optimas, ex legitima uerborum S. Scripturae consequentia, responsiones potuissent dare. Neque magis RICHARD. KIDDERVS audiendus est, qui uerba: ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται in nullo V. T. libro extare statuit, sed ex traditione quadam repetenda esse, de quo conf. ipsius demonstr. Messiae adu. Iud. Eiusmodi etiam fursuris est ORIGENES, qui, auctore SGAMBATO in Archiu. V. T. p. 359. librum quendam Ieremiae apocryphum protulisse dicitur, ex quo Matthaeus uerba haec desumpsisset. Nec meliorem de hoc habuit sententiam CHRYSOSTOMVS, qui, Matthaem quidem, tradit, haec uerba ex scriptura prophetica desumpsisse, sed iniuria temporis eam deperditam esse; ut est apud P. POSSINVM, in catena Patrum graecorum in S. Matthaem p. 34. ubi simul POSSINVS ipse, non semel hallucinatus,



narus, hoc alleuit Scholion: *Nazarenus, quando gentile est, et patriam indicat, ex alia Radice hebraea propagatur, quam ex qua ducitur eiusdem soni nomen professionem certè uoti apud Iudaeos designans.* Confundit tamen haec CHRYSOSTOMVS, *neo solus.* Haftenus Iesuita, qui nec ipse attendit ad נצר a נור sciungendum. Neque minus etiam, licet paulo cautius ingredi uideatur, audiendus est FRANCISCVS ille GOMARVS, promachus contraremonstrantium, dicens, Matthaeo haecce ex immediata Spiritus S. reuelatione innotuisse. Vnde autem uiri hi in tales prolapsi sint errores, quilibet facile scire potest. Legebant enim uerba haec Matthaei, et uidebant ad Scripturam Veteris Testamenti esse prouocatum. Nihil autem in ea iisdem inuenientes uerbis in uarias inciderunt sententias, nullius istas momenti, et ex parte uerbo DEI plane contrarias. Quas quidem quilibet ipse posset refutare; breuiter tamen ipsarum probabo falsitatem. Sciat itaque OSIANDER; quotiescunque Scriptores N. T. nomen cuiusdam Περφης allegant; toties de prophetis, qui diuinitus afflati uaticinia de CHRISTO, ipsiusque futura ecclesia prodiderunt scripta, esse intelligendum. Plane autem tota uia aberrasse credo KIDDERVM, quia tunc temporis, non ad traditiones, sed scripturas allegabantur ueritatem de MESSIA cognituri; loh. V. 59. Neque etiam ORIGENEM praeterire possum, qui apocryphos pro canonicis libris afferre cupit; sed omnes, qui S. Scripturam mecum attente legunt, consentient, uiros hos θεοπνεύστους in probanda ueritate semper canonicis usos fuisse libris, de quo legi meretur Cl. Polyh. FABRICIVS in cod. pseud. V. T. p. 1102. Eiusmodi etiam expectet responsum CHRYSOSTOMVS. Si enim ipsius credendum esset uerbis, prouidentia diuina, fidesque iudaeae ecclesiae, cui diuina oracula demandata esse, Paulus testatur, Rom. III. 2. temere labefactarentur. FRANC. autem GOMARO



ὅτι Ναζω-  
ραῖος κληθή-  
σεται.

GOMARO ipsa reclamatur Scriptura, dicitur enim in ea, *quod scriptum sit*, non autem, *quod ei reuelatum fuerit*. Firmis igitur stat manetque argumentis sententia mea, per enallagen tantum numeri uerba haec esse accipienda. Prioribus autem Matthaëus prophetam citauit, atque simul demonstrat, de hoc et in V. T. iam dictum fuisse; nunc uerba ipsa, quae in V. Oeconomia extare ait, allegat: *ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται*, quae textus nostri ipsa sunt uerba. Angelus enim increatus uxori Manoae indixit, filium futurum esse נָוִי, DEO consecratum, quod cum uoce Ναζωραῖος uel literarum analogiae plane coincidit. Multi quidem, nescio quanam, obuertunt ratione, quod litera hebraea (נ) cum graeca (ζ) non apte satis conueniat, inter quos praecipue agmen ducit HIERONYMVS in Epist. ad PAMMACHIVM dicens: *Illud uero, quod in eodem Euangelio scribitur: et ueniens habitauit in ciuitate, quae dicitur, Nazareth, ut impleretur, quod dictum est per prophetas: quia Nazarenus uocabitur; respondeant λογισμοῖς et fastidiosi aestimatores omnium tractatorum, ubi legerint, discantque in Esaia positum. Nam in eo loco, ubi nos legimus et transtulimus: Exiet uirga de radice Iesse, et flos de radice eius crescet, in ebraeo iuxta linguae eius idioma ita scriptum est: Exiet uirga de radice Iesse, et Naziraeus de radice eius crescet. Sed nullis nititur argumentis; quin immo in Ies. cap. XI plane scribit pro nostra sententia. Perpetuam enim literae (נ) cum graeca (ζ) inuenimus, tum apud externos, tum Scriptores N. T. conuenientiam. Vnde etiam uerso τὰν ὁ reddidit uocem נָוִי per graecum Ναζωραῖος. Neque opus est multa de hoc proferre exempla, cum pauca rei ueritate probare possint. In N. T. enim legimus uerba in V. T. extantia, אָחוּ, אֶלְעָזָר, וּזְכַרְיָה, אָחוּ, per literam graecam (ζ) uersa,*



(ζ) uersa, ut Ζαχαρίας, Ζαχαρίας, Ἐλεάζαρ, Ἀχάζ, multa autem qui desiderat, inueniet in Cl. HILLERI Syntagm. herm. Licet autem Syrus interpres uoculam hanc per (εζ) uerterit; nihil tamen nobis auctoritate sua praescribit, quia facpius fuit hallucinatus, praesertim in priorum uersione nominum, ut, si e. gr. auctoritati ipsius credendum esset, פִּסְתִּי non a praeterire, sed a uerbo פָּצַח, *niti* deriuaremus, alia ut iam taceam. Iudaeis autem non est, ut credant, qui cognomen hoc, monente HILLERO, plerumque הַנְּצִיר, quod apud AQVILAM ἰαχάριον, tabem; apud CHALDAEVM et R. SALOMONEM נְצִירִים, quod cum *Netzer* cognationem habet, mortuorum a Necromantis custodiae cadauera, ut ab his arcana sciscitarentur, apud ABEN ÉSRAM autem loca uasta et desolata sonat, et nos, qui DEVM colimus, הַנְּצִירִים, nimia erga CHRISTVM, Ipsiusque cultores, ignominia scribere solent. Sed ad ipsam redire Nazareth ciuitatem ratio urget; cuius nomen non aliunde, quam ex נֹר, *corona*, נַזְרֶת. duci potest, נֹרֶת enim ex masculino נֹר, quod eandem cum נֹר habet rationem, deducitur. Non aliam autem ob causam נַזְרֶת sic dici putat HILLERVS, quam, quod coronae instar montem suum redimire dicatur; quam etiam ob rem uerba citat HEIDMANNI in Palaestina, qui de ea dicit: *propinqua Canae erat Nazareth, montis cuiusdam uerticem, coronae instar, ambiens, urbs toto terrarum orbe, praesertim apud Christianos, decantata; cui etiam alii adiungi possunt Geographi. Duplici itaque de causa CHRISTVM dictum fuisse Naziraeum, ex hisce praemissis patet; 1) quia consilio diuino non Naziraeus solum fuit; sed et in ciuitate Nazareth*



reth uitam degit; II) per allusionem simul admodum firmam ad Nazareth factam, idque eo magis, quia Naziraeus et ciuitas Nazareth ex uno eodemque uocis themate originem ducunt. Et quamquam *Ναζωραῖος* uarie, mutatis saepius literis, (*ω*) nempe saepius in (*α*) (*η*) et (*ι*) scribatur, ut apud Scriptorum christianorum *Ναζαράϊος*, et *Ναζωραῖος*, apud reliquos autem Hellenistas *Ναζιραῖος*; nulla tamen adduci potest contradictio, sed potissimum ad uarietatem hanc literarum, stante templo secundo, dialectus Chaldaeo-Syra uel neoebraea, quae populo tunc temporis fuerat uernacula, multum conferebat, et plane ad rem nihil facit, modo tantum inter pronunciandum differente. Sed, hoc omisso, ad ultimum textus nostri peruenio, ubi Vir Celeb. TRESSENREYTER, decus illud reipublicae literariae Coburgense, in programmate de *Simsone Naziraeo*, oppido bene praecepit, uerbum hoc *κληθήσεαι* optime secundum regulas hermeneuticas uerti posse per latinum *fit*; quam sententiam huius VIRI pace meam facio, ut totius huius textus sententia haec sit: fore aliquando, ut, quum CHRISTVS nasceretur, Naziraeus, omnium qui uotum hoc uouerant, antitypus sit, qui et in ciuitate Nazareth educaretur, ambularet, et euangelizaret.

*κληθήσεαι.*

§ XI.

*Auctores  
dissentientes.*

Sententia itaque hac nostra stabilita, fas esset, ut singulorum, qui dissentiunt, opiniones, referrem, easque relatas sub examen uocarem; sed non agenti pluribus auctores tantum potiores afferre libet, quos singulos refutare ex iis, quae supra dixi, quilibet facili opera ualebit. Agmen autem praeter Iudaeos ducit HIERONYMVS, de quo § praecedenti sermo iam fuit. Ipsius autem imitatores fuere IVNIVS et TREMELLIVS, ARETIVS, PISCATOR, CASAVBONVS, MARTINIVS, LVD. de DIEV, CONST. L'EMPEREV, LYR, TOSTATVS, SALMERO, LVCAS BVRGENS. IANS. EM. SA', MALDONATVS, BARRADIVS, BARONIVS, VVALTERVS, SCHINDLERVS, quibus etiam annumerandus



randus GERHARDVS. VVINSTRVPIVS uero, ac LIGHTFOOTVS, IOH. CLAVDIVS cum STARCKIO ad omnem S. Scripturam pertinere credunt, ubi de CHRISTO Naziraeo sermo sit. THEOD. HACKSPAN. in Syllog. diff. 1 §. 16. patriam CHRISTI fore Nazaretham in finibus terrae Sabulon sitam, a Iacobo moribundo praedictum esse putat. Neque ALB. MENVERPOORTENNIVS praetereundus est, qui in Fasc. diff. p. 61. dicit, **נְזִירִי** apud Ieremiam esse nomen proprium, et designare Christianos sub Oeconomia N. T. qui nomen gesserunt **נְזִירִי** *Naziraios*, deductum a IESV Nazareno. VIR autem Max. Rev. OEDERVS, Praeceptor meus fidelissimus, cui et omne, quod in me est, debeo, in Obs. SS. quas anno MDCCXXXVIII erudita exaratas manu prodire iussit, uocem **נְזִירִי** patronymicum saepius mutari, et pro (צ)

commode legi posse (י) contendit. CVIVS sententia admodum mihi arrisit, praecipue autem, quod ipsa re easdem mecum fouet sententias, de uerbo licet **נְזִירִי** aliter sentiens.

§ XII.

Restat, ut Auctores, quorum subsidio specimen hocce *Auct. quorum* academicum elaboravi, indicem; sunt autem HIERONYMVVS *subsidio specim.* in Comment. ad Es. et Epist. ad Pammach. H. GROTIUS in *hoc exara-* CALOVII Bibl. illustr. FLACIVS in Lexico, VVALTHERVS, GER- *tum.* HARDVS in Harm. Euang. SVRENHVSIVS in *βιβλ. κειμένων.* HILLERVS, cuius ope saepius usus sum, de elog. cruc. dom. quod in syntagm. herm. inueniri potest; nec non ipsius Onomast. VITRINGA in Obs. SS. BERN. SEB. CREMER Tr. de Naziraeatu, GODDVINVS Mos. et Aar. IKENIVS Antiqq. hebr. LVNDIVS in *יודischen Heiligth.* VERPOORTENNIVS in fasc. diff. TRESENREVERTERVS in programme admodum erudite anno MDCCXXXVIII exarato, cuius titulus: *Coniecturae de sensu uerborum: Naziraeus uocabitur*, quibus praecipue adiungendus est OEDERVS in Obs. SS. Quos maxima ex parte



te iam supra in quolibet citavi paragrapho ; SPANHEMIJ autem dub. euang. licet ipse haud legerim , ab aliis excerpta multoties adhibui.

§ XIII.

*Porismata.*

Sententia mea satis exposita, usum quoque ex ea elicere decet ; sit igitur Porisma I) SPIRITVS S. minima etiam historiae dominicae per prophetas diligentissime praedixit, ac II) omnia, quae praedixit, felici gauisa sunt euentu. III) Naziraei ryfum gessere futuri MESSIAE, et Christianorum ; ut tamen III) Ordo ille, apud Pontificios et alios frequens, monasticus neque cum Naziraeatu conueniat, uid. THEOD. BASSOVI Diff. de uotis monastic. et Naziraeor. Kilon. 1703. neque V) a DEO sit constitutus ; sed VI) bona mente a quibusdam primum cultus, deinde ob meram superstitionem ab hominibus, DEVM recte colere nescientibus, retentus et frequentatus. VII) יהי הוּעַר quod sumus, uel erimus, unice a DEO omnipotente dependet, et VIII) sine ipsius cura ac uoluntate nihil boni effici potest. VIII) הוּעַר singulorum ratio habenda est liberorum. X) מִן־הַבְּטָן omnis aetas DEO sacranda : eorum praecipue, quorum usus in CHRI- STI ecclesia est et in sacris.

§ XIII.

*Epilogus.*

Haec itaque sunt, quae ad sententiam meam probandam atque corroborandam dicere me oportuit. Non autem in indicanda ea tantum consului omnes sanctioris rite applicatas regulas Hermeneuticae ; sed eam etiam analogiae Fidei ac Scripturae plane conuenientem delegi. Aequum hic simul iudico, humanitatem ut laudem, qua me VIRI et doctriua et humanitate conspicui celebresque complexi sunt, atque magno mihi subsidio libris, ad materiam hancce pertinentibus, obuiam iuere ; gratias itaque HIS ago habeoque, quas possum, maxumas. TIBI autem, ALME DEVS, cur-



curuatis gratias persoluo genibus , quod praesentia TVA in negotio hoc semper mihi fuisti auxilio , simul autem abs TE peto , ut et in posterum reliquis meis conatibus elementer adspires , et omne , quidquid effecero , tum in Nominis TVI gloriam , tum etiam in hominum salutem uergere iubeas , quo TIBI per me quoque sit laus et gloria in aeternum.

TANTVM.

NOBILISS. ET DOCTISS. DOM.  
AVCTORI RESPONDENTI

ἰν πειρασμῶν.

**T**yporum V. T. in noui Testamenti libris praesertim commonstratorum nec infrugiferam esse meditationem ac euolutionem , nec iniucundam ; facile intelligimus , qui uel experimentum eius operae facimus , uel diligenter in hoc studiorum genere uersatos intuemur atque sequimur. Proin operae pretium faciunt , qui contemplandos alios typos exhibent ac illustrant : neque temere damnabimus , uel interpretes INNATORVM , uel ILLATORVM typorum idoneos rimatores ; dummodo , aliorum uitantes uitia , in contraria non currant. LUTHERI nostri , eximii Scripturarum ruspatoris , obuia sunt monita ; et animaduersores ORIGENIS , similibusque , pontificiorum , fanaticorum , iure quodam suo attentos esse nos praecipunt , ut Typos ne confingamus temerarii , neue aspernemur nimium incuriosi. Nihil sane opus est , ut numerum , quos hodie uocitant , ALTIVOLANTIVM (*der Hoogbruliegers*) adaugeamus. Atqui tale quidpiam uitio fortassis TIBI uerterint , HAVKI doctissime , qui existimarint , post B. S. CREMERVM , uirum ceteroquin nec indoctum nec incelebrem.



lebrem, abs TE quoque Simsonem credi saluificatoris nostri *κύριον ἀπὸρ γογγύσις*. Sed excusant satis TVA TEMET meletemata. Et totam olim perorauit causam TVAM ὁ πᾶν HIERONYMVS commentario in Esaiam, p. 48. his uerbis: Illud quod in Euangelio Matthaei omnes quae runt ecclesiastici, et non inueniunt, ubi scriptum sit, QVONIAM NAZARAEVS VOCABITVR, eruditi hebraeorum hoc loco (Ies. XI. 1.) assumptum putant. Sed sciendum, quod hic **נצרי** per **צ** literam scribatur: cuius proprietatem, et sonum inter z et s, latinus sermo non exprimit. Est enim stridulus, et strictis dentibus uix linguae impressione profertur: ex qua etiam Sion urbs scribitur. Porro NAZARAEI (quos LXX sanctificatos, Symmachus separatos, transtulerunt) per **י** semper scribuntur elementum. Haecenus pater Stridonensis. Neque difficulter transiges, hinc cum uetustioribus aut recentioribus, Simsonem CHRISTI typum aperte dicentibus; hinc cum aliis, ab *ὀρθοδοξίας* professione laudandis, qui figuram potius DOMINI, quam typum, appellitari herosa fortissimum ament. Qua de re diligentiam TVAM, in explicando difficili loco occupatam, uti quoslibet honestos conatus TVOS et actus, uehementer probo; nec debitam placitorum TVORVM defensionem despero: DEVM precatus, ut sanctis adsit laboribus, iisque exoptanda decernat praemia, TEQUE PARENTI, amplissimo VIRO, gentique toti clarissimae, decus et gaudium, PATRIAE Ciuem Ornatissimum, ECCLESIAE probabilem ministrum, Patronis ac MAECENATIBVS gratiosum, faciat ac seruet. *ὄυλέ τε κῆν μάλα χαίρει*. Scr. Altorphiū d. XIII. Sept. CIO IO CCCXXXK.

D. I. B. BERNHOLD.

*Vnum*



**V**Num uix capitur foedus; sin iungis utrumque:  
 Mox nosces clare, quod modo te latuit.  
 En uerbi testes; ne, quaerens, ambige, uerum est;  
 Omine quod Simson; HAVKIVS arte, probat.

Nobilissimo et Doctissimo Dom.  
 AVCTORI RESPONDENTI  
 haec fauoris et gratulationis  
 caussa scripsit

IOH. ANDR. MICH. NAGEL, P. P.

**D**ER Fleiß / Geehrter Freund / wagt  
 sich an Simsons Stärke /  
 Und zeigt / wie dieser Held ein Vorbild Christi  
 sey:  
 Wie eysrig warst DU nicht bey solchem schönen  
 Werke /  
 Drum legt die Wahrheit DER auch Ruhm  
 und Ehre bey /  
 Und schreibt mit Vorbedacht / daß dieser Fleiß  
 und Mühe  
 Vergnügung / Lob und Glück in kurzem nach  
 sich ziehe.

Ziemit wolte dem Hochgeehrtesten Herrn  
 AVCTORI seinen ergebensten  
 Glückwunsch abstarren

M. Joh. Gottfr. Bernhold /  
 Opp.

SIMSONIS



SIMSONIS et CHRISTI sit conuenientia quanta,  
Ex NAZORAEI nomine, AMICE, doces.  
O bene laudandos, o felicesque labores,  
Monstrare, antiquum foedus inesse nouo!  
Huic operae intentum, me teste, uidebat APOLLO  
TE surgens, uidit TE quoque luna probum.  
Praemia cur tanta haec industria non sibi speret?  
Ominor atque opto prospera quaeque TIBI.

*Sic* PRAENOB. ET DOCT. DOM. AVCTORI,  
FAVTORE ET AMICO, *immo* CONTVBER-  
NALI SVAVISSIMO, *eruditum specimen*  
*ex animo congratulatus, applaudit*

M. IO. BARTH. RIEDERER, Norimb.  
Opp.

DOctum et tenacem propositi uirum  
Non hostium ardor falsa probantium,  
Non uultus aduersans amici  
Mente quatit solida. *Sacrate,*  
HAWKI, *fauentis Pallados artibus!*  
Pro ueritatis (Samsone non minor)  
Pugnans honore: et litteratis  
Impetibus domitis, triumphas.

Partam honesta uictoria gloriam  
solide docto DN. HAWKIO  
gratulatur

IO. GE. SAM. BERNHOLD. Opp.



ad 33




01 A 6623


ULB Halle  
002 934 213  
ULB Sachsen-Anhalt  
Ausgaben 3  
Datum: 2008











Farbkarte #13

B.I.G.

b. 4

4

ANACRISIS EXEGETICA  
DE  
**SIMSONE NAZIRAEO**  
TYPO CHRISTI

AD ILLUSTRANDUM  
*LOCVM MATTH. II. 23. EX IVD. XIII. 5. 7.*

QVAM  
DEO CLEMENTER ADSPIRANTE  
*SVB PRAESIDIO*  
**D. IOH. BALTASARIS BERNHOLDI**  
SS. THEOL. ET GRAECAE LINGVAE P. P.  
ET ECCLESIAE ALTORFINAE ANTISTITIS  
H. T. SEXTVM DECANI  
*PATRONI PRAECEPTORIS ET HOSPITIS*  
*OMNI PIETATIS CVLTV AETERNVM*  
*PROSEQVENDI*

D. XIII. SEPTEMBR. A. O. R. MDCCCXXX  
*PVBlicAE ET AMICAE DISQVISIIONI*  
*SVBIICIET*  
AVCTOR  
**IVSTVS IACOBVS HAVKIUS**  
EX ONOLDINIS

*ALTORFII*  
TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGRAPHI.

